

pectu terruit, ut hostilis exercitus mox fugam arriperet, et cum angustiae pontis Milvii fugam impedirent, in Tiberim praecipuus abiit et suffocatus est, in qua et Maxentius frustra conatus per ulterioris ripae abrupta evadere eodem flumine absorptus est, Oratur. paneg. IV. Euseb. lib. IX. cap. VIII. Zozim. libro III. Maximinus in oriente Christianos persequens a Galerio Maximiano Caesar dictus, qui inter alios S. Catharinam, et Mennam martyrio affecit, tandem Deo Christianorum laudes tribuens, pro eorum plenissima libertate sancit, ac demum lethali et horribili morbo correptus, oculis de capite fluentibus, miserabiliter moritur, confitens ea se merito pati ob admissam in eos immanitatem. (Ab aliis se apud Tharsum, ne vivus caperetur a Licinio, strangulasse dicitur) ministri ejus domestici, liberi ipsi morte cum ignominia muletantur; status ejus, tituli, inscriptiones eraduntur, dejiciuntur, deturpantur, Ecclesia ingenti exultatione triumphat, Euseb. lib. IX. cap. VIII. et IX. Licinius denique et ipse Caesar creatus a Galerio in oriente Christianos persecutus est et multos a fide abstraxit, plurimos occidit, ut quadraginta milites Cappadoces, S. Blasium, Sebastenum episcopum, etc. Eum ergo Constantinus Magnus ut orientale imperium a tyrannide liberaret, bello petit et iterato profligat, supplicem recipit et ad vitam privatam agendam ablegat Thessalonicam, nec multo post res novas molientem interficit, Euseb. in chron. Quem tamen Joan. Nicomed. presbyter, apud Sur. 26. april. dicit in Galliam ablegatum, diffidit morbo oppressum, Deum verum se rejecisse confitentem, diem clausisse. Atque ita intra paucos annos sex crudeles Ecclesiae persecutores exterminati sunt, et optatissima pax Ecclesiae sub Constantino christiano imp. qui ad annum trigesimum secundum imperavit, reddita est. Constantinus ergo septimo imperii sui anno viso crucis signo in caelo, conversus, media in urbe signum crucis erexit cum inscriptione: «Hoc salutari signo vero fortitudinis indicio civitatem vestram tyrannidis jugo liberavi, et S. P. Q. R. in libertatem vindicans pristinae amplitudini splendorique restitui,» Euseb. in vita Constant. l. I. c. III.

XII. Duodecima sub Juliano apostata imp. qui cito ad gentiles deflexit, deorum templa aperuit et illis sacrificavit, cum prius Christianus imo et de clero fuisset. Attrivit Christianos primo exactionibus; deinde allicere conatus est blanditiis, seducere dolis et fraudibus. Favet etiam Judaeis in odium Christianorum, iisque Jerosolymam restituere et templum restaurare incepit; sed opus a divinitus impeditum est. Tandem cum Persis

praelio decertans inermis jaculo configitur ex obscuro per brachium in latus ejus infixio, quod ab angelo commissum creditur. Saucius Julianus implevit manum sanguine de vulnere scaturiente sparsoque eo in aerem dixit: *Vicisti Galilae*, Theodoretus, lib. IV. hist. cap. XXV. Ita impius apostata ut merebatur periret. Et tum demum Ecclesia a tyrannide gentilium secunda fuit et permansit.

Jam nunc igitur patet Ecclesiam navem illam esse, quae inter fluctus persistit, domum illam esse, quae non in arena, sed in petra aedificata est; sinape illud esse, quod excrevit in arborem immensam; fermentum illud, quo tres orbis partes fermentatae et inversae sunt, etc.

#### CONCIO IV.

QUID FACIENDUM SIT TEMPORE AFFLICTIONIS, PRAESERTIM FAMIS.

I. Patientiae scutum obijciendum. — II. Sperandum in Domino. — III. Vires nostrae addendae. — IV. Expicienda a peccatis anima. — V. Invocandus Deus.

#### THEMA.

*Suscitaverunt eum dicentes: Domine salva nos, perimus.* Matth. VIII.

Cum hodiernum inspicio evangelium, videre mihi videor calamitosum perturbati temporis statum affabre depictum. Equidem in evangelio vix incepit dormire Dominus: *Et ecce motus magnus factus est in mari*, ait Matthaeus: *Et descendit procella venti in stagnum*, ait Lucas: *Et fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur navis*, ait Marcus. Videtur interdum certe dormire Deus, hoc est, dimittere homines agere pro suo libitu et seipsos regere. Et nunc quantus in orbe motus? Descendit ventus malarum suggestionum ex aereis potestatibus, quae vehementissime impellunt homines ad avaritiam et cupiditatem aliaque vitia. Atque ita motus magnus fit in mari, ut non immerito quilibet sibi attendere debeat, quid factu opus sit. Inter haec bonum consilium praebent nobis discipuli, qui accesserunt et suscitaverunt Christum. Videbimus ergo quid nobis tempore tribulationis faciendum sit.

I. In tempestate gravi navigantes velis contractis remigare desinunt et descendunt ad inferiora navis clauduntque ostium ejus, necnon pice oblinunt, atque ita velut ovo clausi, se et navim Deo ac ventis committunt, donec quiescat mare, suntque securi, quamdiu navis ad scopulum non impellitur. Sic postquam Noe, Gen. VII.

cum suis ingressus esset navim, inclusit eum Dominus de foris, ne scilicet aquae obruerent. Ad hunc ergo modum tempore afflictionis descendamus in profundum navis, id est, cordis nostri, et cogitemus quam merito haec patiamur, quantam purgatorii penam his malis patienter acceptis redimere possimus. Fecit hoc Henricus sextus Angliae rex, qui ab Eduardo aemulo suo regno exutus et in vincula coniectus, occiso in super filio, gratias egit Deo: quod hoc sibi in vita purgatorium dedisset, quo peccata expiaret, Polydoro auctore, libro XXIV. Irene Augusta a Niphophoro servo suo imperio dejecta: Ego, inquit, Deo acceptum refero, quod me orphanam et indignam ad imperii clavum collocavit; quod vero me jam dejici permittit, meis peccatis ascribo: in cunctis autem bonis ac malis omnibus sit nomen Domini benedictum. Refert Paulus diaconus, libro XXIII. rerum Romanarum. Cogitemus tempore morbi, quam bene nobis fuerit tempore sanitatis; tempore penuriae et famis, quam bene nobis fuerit tempore abundantiae, et quam tunc ingrati Deo et immemores fuerimus beneficiorum ejus. Deinde committamus nos Deo dicentes cum Job: *Memento mei, Domine, quoniam ventus est vita mea*. Hoc modo si nos componamus, qualitercumque jactetur navis, securi erimus, modo inquam navis nostra ad scopulum murmuracionis contra Deum et impatientiae non allidatur, sic enim novissima pejora forent prioribus, sicut accidit Hebraeis, Num. XI. et XIV. cum in afflictione murmurarent contra Deum et superiores suos, illic ob penuriam carnis, hic ob difficultatem ingressus in terram promissionis, tunc enim omnino pessumdati sunt et a Deo occisi. Unde Numerorum XIV. ait Dominus: *Feriam eos pestilentia atque consumam*. Non enim solum afflictionem sibi conduplicant murmurantes contra Deum et superiores, sed insuper omne meritum patientiae perdunt, et martyres diaboli fiunt. Contra maximum meritorum thesaurum nobis corradere possemus, si patientiam exerceeremus et virgam velut a Deo nobis immisam oscularemur. Quapropter apostolus Jacobus ejusmodi tempore gaudere nos jubet: *Omne gaudium existimate, fratres mei, inquit, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestrae patientiam operatur*. Probatum in tribulatione fides nostra utrum Deo sincere adhaereamus et gratis etiam servire, non ob temporalia bona, parati simus.

II. Anchoram jaciunt et navim firmant, ne a tempestatibus jactentur. Sic Actor. XXVII. nautae Sanctum Paulum vehementes in tempestate mittebant anchoras quatuor, ne in aspera loca inci-

derent. Ergo nos in tribulatione spem et confidentiam nostram velut anchoram in Deum jaciamus. Sic enim S. Paulus ad Hebraeos VI. ait: *Confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animae tutam ac firmam*. Qui hanc non jaciunt, facile ad aspera et saxosa loca desperationis deveniunt et naufragium salutis faciunt: quod nequaquam evenit iis, qui anchoram spei in Deum jaciunt. Et sane quanto magis in mundo tribulamur, tanto magis in Deo sperare et ipsi adherere ab eoque auxilium debemus expectare, sicut polyplus in tempestate firmissime adheret petrae, ita ut avelli nequeat et potius avellantur ejus membra a corpore, quam ipse a petra, ut scribit Pierius, lib. XXVII. hierogl. Cum enim humanum deficit subsidium tunc incipit divinum, hoc est, quod suasit S. David, Psalmo LIV. dicens: *Jacta super Dominum curam tuam et ipse te enutriet, non dabit in aeternum fluctuationem justo*. Quo loco duo sperari jubet: imprimis Deum nos omnes pasturum; ipse enim corvos etiam pascit, aves licet inutiles et voraces, quorum pulli cum parentibus destituuntur, propter penuriam cibi, subinde clamant, pascunturque animalculis circa nidum obvolantibus, quibus captatis vivunt, ut scribit S. Chrysostomus, in sermone in Heliam prophetam. Et miratur id Job, cap. XXXVIII. *Quis praeparat corvo escam suam, inquit, quando pulli ejus clamant ad Deum vagantes, eo quod non habeant cibos? Nee tantum Deus pascit corvos, sed et per corvos pavit sanctos viros, ut Eliam et Paulum eremitam. Quare considerate corvos, inquit Dominus, Lucae XII. quoniam non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium neque horreum, et Deus pascit illos, quanto magis vos pluris estis illis*. Audiamus hic exemplum divinae hujus providentiae ex Pithaeo, in annalium Fran. Baron. tomo X. Anno Christi 850. gravissima fames Germaniae populos oppressit, maxime circa Rhenum habitantes: nam unus modius frumenti Moguntiaci vendebatur decem siclis argenti. Morabantur autem ea tempore Rabanus archiepiscopus in quadam villa parochiae suae, cui vocabulum est Winzella, et pauperes de diversis locis venientes suscipiens, quotidie plusquam trecentos alimento sustentabat exceptis his, qui in praesentia illius vescabantur assidue. Venit autem et mulier quaedam pene consumpta inedia cum puerulo parvulo inter caeteros refocillari desiderans, quae priusquam limen portae transcenderet, praenimia imbecillitate corruens spiritum exhalavit; puer vero mamillam matris mortuae quasi viventis de sinu protrahens, et sugere tentans multos intuentem gemere et flere coegit. Quidam in illis diebus de-



Grabelden cum uxore sua et filio tenero in Thuringiam proficiscens, ut malum inopiæ temperare posset, uxorem in itinere in quadam silva sic affatus est: « Nonne, inquit, melius est, ut puerum istum occidamus, et manducemus carnes ejus, quam omnes inedia consumamur? » Illa vero contradicente, ne tarturum scelus committeret, tandem urgente fame filium de brachiis maternis per vim rapuit, et voluntatem opere compleret, nisi Deus illum sua miseratione prævenisset. Nam, sicut idem postea in Thuringia positus plurimis retulit, cum evaginasset gladium, ut mactaret filium, et in ancipiti positus necem distulisset, vidit eminens duos lupos super unam cervam stantes, et lacerantes carnes ejus. Statimque parcens filio, ad cadaver cervæ cucurrit, et lupos inde abigens tulit de carnibus prægustatis et cum incolum filio ad uxorem reversus est. Prius enim quando filium tulerat de manibus matris, paululum ab ea declinaverat, ne illa morientem puerum videret et audiret. At illa, veniente marito, videns recentes carnes et cruore perfusas, putabat filium occisum, et cecidit retrorsum pene exanimis. Ille autem accedens consolatus est eam, et erigens illam, ostendit puerum viventem. Tunc illa resumpto spiritu, Deo gratias egit, quia filium sanum recipere meruit; nec minus ille, quia eum Deus a filii interfectione innocuum dignatus est conservare. Ambo tamen carnibus lege prohibitis necessitate coacti se recreabant.

Secundo, non duraturam semper hanc tribulationem: *Non dabit in æternam fluctuationem justo*, ait David. Quemadmodum enim faber ferrarius postquam ferrum aliquamdiu ignivit in fornace, postea extractum intingit et refrigerat in aqua, quam non longe a foco paratam semper habet: sic Deus facit cum fidelibus suis. Unde Psalmo LXV. ait illi David: *Transivimus per ignem et aquam, et eduaxisti nos in refrigerium*. Narrat sextus Julius, libro III. capite VI. de principe quodam nomine Cleonino, qui videns populum suum in quadam civitate obsessum, subornavit militem, qui ad obsidentium transiret castra, ejusmodi tamen telis instructum, quibus inscriptum erat: *Confortamini et estote fideles, ego Cleoninus obsidionem istam vobis venio celeriter remove. Quas sagittas eum hic miles in civitatem emisisset, confortati sunt cives, urbemque defenderunt. Ejusmodi sagittam projecit ad nos miles Dei David, eum dixit: Non dabit in æternam fluctuationem justo*. Ejusmodi sagittam projecit Eliæus, IV. Reg. VII. in Samariam obsessam et gravissima fame pressam (quando caput asini vendebatur octoginta argenteis et quarta pars

cabi stercoreis columbarum quinque argenteis) eum prædixit: *Cras modius similæ uno statere erit, et duo modii hordei statere uno in porta Samariæ*. Quod cum unus de ducibus regis pro fabula haberet et diceret: *Si Dominus fecerit etiam catractas in cælo, id diceret: si aperuerit cæli fores et inde triticum dejecerit, numquid poterit esse quod loqueris?* respondit propheta: *Videbis oculis tuis et inde non comedes*. Quæ ordine facta sunt; venit enim altero die modius similæ statere uno, similiter duo modii hordei: dux vero ille, cum ad portam a rege constitutus esset, a turba conculcatus est, in pœnam scilicet diffidentiae suæ, et in exemplum illorum, qui de Dei bonitate diffidunt et acerbiora semper præsagiunt afflicto populo, eumque pusillanimum et impatientem faciunt.

III. Strenue laborant sive remigando, sive vela contrahendo, sive alia agendo. Sic Marci VI. discipuli Christi laborabant remigando cum ventum haberent contrarium. Similiter in afflictione manum etiam nostram adhibere debemus et strenue laborare ut afflictis succurratur. Matthæi XIV. legimus discipulos Dominum rogasse ut dimitteret esurientes turbas in vicis et castella ad emendos panes; sed respondit Dominus: *Non habent necesse ire, date illis vos manducare*, quod et facere volebant, quia apud Marcum, cap. VI. ad hoc responderunt: *Euntes emamus ducentis denariis panes, et dabimus eis manducare*; unde colligitur discipulos tunc habuisse nummos, forte ex loculis Domini, unde participabant. Hoc idem Dominus dicit ditioribus cum queruntur de multitudine egentium et mendicantium: *Date illis vos manducare*, habetis enim ex Dei liberalitate, ut ipsimet eos pascere possitis, alioquin enim velut iniqui dispensatores corripimini. Sed plurimi divitum instar Philippi, respondent Domino interroganti: *Unde ememus panes, ut manducent hi?* Joannis VI. *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt ut unusquisque modicum quid accipiat*. Non sufficerent istis explendis omnes mundi thesauri; unde mihi tantæ opes ut omnibus subveniam? Sed nescis, miser, quod sicut Philippum Dominus interrogavit tentans eum et virtutem ejus, sic etiam tentat te, et charitatem tuam, quid facere coneris erga pauperes, quomodo erga illos affectus sis? Da quod potes, idque etsi modicum est, libenter tribue, et Dominus in reliquo providebit pauperibus sicuti ex paucis panibus plurimos fecit, sic etiamnum benedicere potest eleemosynas, ut omnibus sufficiant. Qui vero egentibus non subveniunt, cum possint, res Domini sui injuste detinent, qui ad hoc eas ipsis dedit, ut egentibus

communicarent. Audi S. Basilium, in oratione ad divites: « At tu, inquit, nonne spoliator es qui quæ dispensanda accepisti propria reputas? Est panis famelici, quem tu tenes; nudi tunica, quam tu in conclavi conservas; discalceati calceus, qui apud te marcescit; indigentis argentum, quod possides inhumatum; quo circa tot pauperibus injuriam facis, quot sunt, quibus dare valeres. » Hæc ille.

IV. Alleviant navim, ejiciendo onera, merces, arma, etc. uti fecerunt nautæ, Jonæ I. et Act. VII. Similiter ergo ejicienda sunt ex cordibus nostris onera peccatorum, propter quæ ut plurimum immittuntur nobis tempestates afflictionum. Nihil proderat ejectio vasorum nautis Jonam vehentibus, quia aliud et spirituale onus ejiciendum erat, scilicet Jonas inobediens, qui quamdiu a facie Dei fugiebat, tamdiu sæviit mare. Hinc ipsemet dicebat: *Tollite me et mittite in mare et cessabit mare a vobis, scio enim ego, quoniam propter me tempestas hæc grandis est super vos*. Hoc vero nautæ non libenter faciebant, sed remigabant ut reverterentur ad aridam: sed non valebant, nec quievit mare donec ejiceretur Jonas. Similis eventus legitur II. Regum XX. cum Joab urbem Abela obsideret et jam vastare muros vellet; contigit enim ut prudens mulier e civitate loquens, de Joab conquereretur, quod civitatem vellet perditam. Cui ille, se civitatem non impugnare illius odio, sed quia intus receperat, tenebat et defendebat Sebam filium Bochri, insignem proditorem qui levaverat manum contra regem David; unde: *Tradite illum solum, aiebat, et recedemus a civitate*. Cives igitur postquam absceiderunt Sebæ caput et projecerunt ad Joab, ab obsidione liberati sunt. Jam ergo si causam tribulationis nostræ scire cupimus, quæramus in nave et civitate cordis nostri et circumspiciamus utrum non sit ibi aliquis Jonas et Sebas, inobediencie et peccatorum onus, idque mox ejiciamus per penitentiam, S. Ambrosii, serm. LXXXV. verbum est: *Civitati non nisi propter civium peccata infertur excidium. Desine peccare et civitas non peribit*. Idem ego dico non de excidio tantum, sed etiam de quavis gravi calamitate. Quid vero de illis dicamus, qui hoc ipso tempore multipliciter peccata? Audiamus S. Gregorium, I. VIII. ep. XLI. ad epis. Carthag. « In flagellis positos, flagellis digna committere, contra ferientem est specialiter superbire et sævientis acrius iracundiam irritare. Atque est primum genus demencie nolle quempiam a malis juste quiescere et Deum injuste a sua velle ultione cessare. » Hæc ille. De talibus loquitur Isaias, cap. XXII. *Vocavit Dominus Deus*

*exercituum in die illa ad fletum et ad planctum ad calvitium et ad cingulum sacci. Et ecce gaudium et lætitia, occidere vitulos et jugulare arietes, comedere carnes et bibere vinum. Comedamus et bibamus, cras enim moriemur*. Ubi glossa interlin. ait: *Quasi omnia morte finiuntur, contra Deum blasphemiam loquuntur. Revera enim isti vitam alteram non expectant, neque immortalem credunt, aut Deum esse retributorem operum. Quoniam igitur huic mundo non sapit concio Dei, proponamus ei concionem diaboli. Comedamus et bibamus, cras ad inferos descendemus, quomodo ille dux militibus suis pugnaturis dixit: Prandete hic, milites, tamquam apud inferos cenaturi*.

V. Invoçant Deum et orant, quantumvis alioqui perdit et orationis inassueti nautæ, quia mortem præ oculis cernunt. Fecerunt hoc gentiles nautæ Jonam vectantes: *Timuerunt nautæ, inquit textus, et clamaverunt viri ad Deum suum. Quinetiam accessit gubernator ad Jonam et dixit ei: Quid tu sopore deprimeris, surge, invoca Deum tuum, si forte recogitet Deus de nobis et non pereamus*, Jonæ I. Ita excitarunt discipuli Christum in navicula dormientem, et precibus suis impetrarunt tranquillitatem. Josaphat rex cum belli ingrueret tempestas, II. Paralipomenon XX. *Totum se contulit ad rogandum Dominum. Sed et omnes de urbibus suis venerunt ad obsecrandum eum, etc.* sicque facta est tranquillitas magna, Josaphati regis hostibus per mutua vulnera mirabiliter concisis et profligatis. Accaronitæ ob plagam murium fecerunt vota Deo, et mures aureos obtulerunt, cessavitque plaga, I. Reg. VI. Hebræi audito Holofernis adventu et clade quam intulerat urbibus, clamaverunt ad Dominum instantia magna et humiliaverunt animas suas in jejuniis et orationibus, ipsi et mulieres eorum. Et induerunt se sacerdotes ciliciis, et infantes prostraverunt contra faciem templi Domini, et altare Domini operuerunt cilicio. Et clamaverunt ad Dominum Deum Israel unanimiter ne darentur in prædam infantibus eorum et uxores eorum in divisionem, et civitates eorum in exterminium, et sancta eorum in pollutionem et ferenent opprobrium gentibus. Tunc Eliacim sacerdos Domini magnus circumivit omnem Israel allocutusque est eos dicens: *Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras si manentes permaneritis in jejuniis et orationibus in conspectu Domini, etc.* Judith. II. His ergo orationum armis pugnantibus miram Dei senserunt opem, Holoferne a Judith interfecto; quibus armis si nos quoque uteremur tempore afflictionis, auderem et ego non dubiam Dei opem nobis promittere, etc.



## CONCIO V.

INVOLUMENTA VOLUNTATIS HUMANE AD DIVINAM  
CONFORMATE.

I. Gratissimum Deo sacrificium est. — II. Singulares gratias obtinet. — III. Compendiosa ad perfectionem via. — IV. Tranquillitatem adfert. — V. Cœlum in terra habet.

## THEMA.

*Ipsa vero dormiebat. Matth. VIII.*

Magnum discrimen cernitur inter Christum Dominum et reliquos navigantes, in hodierno evangelio. Isti enim exorta tempestate consternati, timidi ac pene desperati erant; ille vero interim non modo nihil timebat, sed suaviter etiam dormiebat timidusque increpabat ob pusillanimitatem. Quod idem typice ostensum est in historia Jonæ, c. I. ut docet S. Hieronymus super hoc evangelium cum ait: « Hujus signi typum in Jona legimus quando cæteris periclitantibus ipse securus est et dormit. Ibi enim exorta tempestate gentiles clamaverunt ad deum suum, miserunt merces in mare et timuerunt timore magno: Jonas autem propheta Dei, in eadem navi constitutus, interim descendit ad interiora navis et dormiebat sopore gravi. » Quid hoc sibi vult, auditores? Discrimen indicat inter eos, qui se Deo committunt ejusque voluntati suam per omnia conformant, et inter eos qui secundum suam voluntatem omnia evenire volunt. Hi enim licet in eadem navi divinæ providentiæ vehantur qua illi, semper tamen anxii, semper inquieti sunt. Illi vero pacatissime dormiunt et in divina dispensatione quasi in molli culcitra impavidi conquiescunt. Quæro nunc e vobis: Quis non malit cum Christo et Jona suaviter et secure dormire in media tempestate, quam frustra timere et angere cum turba? Ut ergo somnum illum nobis conciliemus, audiamus quanta bona sint hujus conformitatis voluntatis nostræ cum divina.

I. Qui suam voluntatem conformat cum divina, gratissimum et præstantissimum Deo sacrificium offert, holocaustum videlicet sui ipsius. In aliis enim sacrificiis et oblationibus homo sua dumtaxat offert, in hoc vero seipsum. In aliis mortificat se ex parte solum temperantia, patientia, modestia, silentio, etc. in hoc autem plane se totum dat, ut de ipso et ipsius rebus omnibus disponere pro libito Deus possit; proinde quantum totus homo differt a rebus suis, tantum differt hoc sacrificium ab aliis.

Avicula præbet tibi tantum sui conspectum; non tamen seipsam: nam ubi eam apprehendere voles, avolabit. Sic alii parati sunt largiri suam vel jacturam eorum æquanimiter tolerare, injurias pati, inimicis benefacere, carnem suam affligere jejuniis, verberibus, etc. Sed si ipsos Deus apprehendere conetur morbo lethali aliisve ærumnis inexpectato immissis, tum fugere et resilire solent, nec Deo manus dare volunt; sed obsistere, murmurare, indignari, conqueri, lamentari, etc. Varia munuscula pro sua quisque facultate obtulere Socrati auditores ejus: sed omnium maximum obtulit Æschines pauperculus, qui cum aliud non haberet, seipsum illi obtulit; unde et seipsum ab eo bonis artibus imbutum, multo cum tœnore recepit, Seneca, l. I. de beneficiis, c. VIII. Idem sensit S. Paulus, qui cum cœlesti lumine ac voce prostratus se obtulisset Christo: *Domine quid me vis facere?* factus ab eo apostolus et vas electionis, seipsum ab eodem multo meliorem recepit, Actor. IX.

II. Pro tam accepto et magno sacrificio obtinet a Deo singulares gratias, et favores, veluti primo, Dei crebram visitationem et liberam secum commorationem. Ita refert Lud. Blosius, in monili spirit. cap. XI. Christum aliquando S. Gertrudi dixisse: Quicumque cupit a me sæpius adiri, suæ voluntatis clavem mihi offerat, nec eam a me unquam repetat, qua re edocta Gertrudis precatiunculam fecit his verbis: *Non mea, sed tua voluntas fiat, mi amantissime Jesu.* Et hoc ipsum trecentis sexagesies quinques institit repetere. Ita prudens et bonus filius, si rebus suis consulere et parentum gratiam sibi conciliare velit, clavem sui peculii parentibus tradit, ut inde sibi emant, quæ judicant fore utilia, non sibi eam reservat, ne peculium suum prodigat in nugas et crepundia.

Secundo, obtinet quæ petit et desiderat a Deo. Taulerus, ser. I. de circ. refert eximiam quamdam Dei famulam, cujus orationi se plurimi commendare solebant, omnia impetrasse, quæcumque illi petierant. Cumque propterea famulæ Dei gratias agerent, erubuit illa et cum Deo amice expostulare cœpit, cur in omnibus suis petitionibus semper audiretur et propterea ab hominibus gratias acciperet, quæ nihil commodasset ad collata beneficia, dixit ei Christus: Vide filia, illo ipso die, quo tu tuam voluntatem mihi tradidisti, ego vicissim tradidi tibi meam, et etiamsi tu nihil petas, facio tamen nihilominus, quæ postulare voluisses.

Tertio, plurimum in cœlo meretur. Jo. Gerson. cancellarius Paris. asseruit Job plus meruisse quod illatam a Satana cæterisque hostibus suis

injuriam æquo animo tulerit, quam si suo libito distribuisset opes suas omnes pauperibus. Nec male; nam plus est ærumnas undicumque immissas sine querela sufferre, quam carnem macerare voluntariis afflictionibus; sicut plus est, pauperes, qui non invitati veniunt in domum tuam cenare et hospitari volentes, adeoque semetipsos invitantes, libenter et largiter accipere, quam si eosdem prius invitasses. Sic magis est laudandus Zacchæus, qui Christum non invitatum ad se divertentem gaudens et liberaliter excepit, quam Pharisæi qui eumdem invitatum exceperunt.

Quarto, roboratur ad vincendas dæmonis tentationes. Patet hoc etiam in S. Job, qui, varie percussus, conformando se Dei voluntati, dæmonum conatus omnes elusit. S. Antonius suis crebro ingerebat: Si semper Dei manibus omnia commiserimus, nullus dæmonum ad expugnandum valebit accedere. Nec videtur melius consilium ad eludendas dæmonis tentationes, præsertim cum ingerit scrupulos, quam respondere: Si hoc vel illud volet Deus, volo etiam ego; si nolit, nolo. Senserunt etiam sibi vires accedere ad tormenta perferenda ex hac conformitate duo ss. martyres Epictetus presbyter et Astion sub Diocletiano, sanctissime viventes in oriente, qui a Latroniano Almiridensium duce comprehensi in carcerem conjecti sunt. Ubi Epictetus: Si cras, inquit, o Astion, ad quæstionem rapiamus, nil aliud respondeamus quam Christiani sumus; hoc nobis nomen, genus et patria est. Quod si nos tormentis exagitari Deus voluerit, solum hoc dicemus: Domine Jesu, tua voluntas semper in nobis fiat. Evocati igitur ad tribunal et de patria ac domo interrogati a Latroniano respondunt: *Christiani sumus, et parentibus nati christianis.* Ille: *Non hoc quæro, inquit, nomina vestra edite, sectæ vestræ perfidia jam ante mihi perspecta est.* Hic rursus martyres: *Christiani sumus, Christum adoramus, idola detestamur.* Jussi igitur sunt immaniter cædi ab irato iudice. Verum illi inter plagas clamant: *Domine Jesu, tua in nobis voluntas fiat.* In equuleum sublatis et unguis laniati, idem crebro repetunt. Faces illis ardentes admotæ: eadem illis vox erat, sicque in carcerem reducti sunt. Spectato hoc certamine, Vigilantius iudicis assessor, cogitare intra se cœpit; subesse nescio quid magici carminis verbis illis: *Christiani sumus, fiat voluntas Dei in nobis, quibus tormentorum omnium vis et sensus enervari possit: itaque ea domi suæ triduo ipse frequentissime in ore habuit, sedens, stans, cubans, surgens, ambulans.* Quarta die occulta Dei virtute permotus in publicum prodiit clamans: « Christianus ego sum, o tyranne

Latroniane, fiat voluntas Dei nostri in nobis. » Admissus deinde in carcerem ad martyres doctores suos ab iisdem cum familia sua baptizatus est. Producti iterum ad tormenta duo illi athleteæ priori voce sua velut scuto inexpugnabili eliserunt omnes pœnas. Post triginta dies ad supplicium ducti mutuo se animabant ea voce: *Laudate nomen Domini, quia facta est voluntas Dei nostri in nobis per omnia, idemque repetierunt jam plectente capite, sicque obierunt sanctissime, Rosweid. de vitis pp. l. I. c. II. et seq.*

III. Compendiosa via ad veram perfectionem et vitæ sanctitatem perveniet. Unde Arias, p. I. de orat. ment. c. V. dixit: *Summa vitæ christianæ et virtutum omnium compendium est, Dei voluntati se in omnibus conformare, idem velle et idem nolle.* Trium dierum iter est ad cœlum juxta id Exod. V. *Deus Hebræorum vocavit nos, ut eamus viam trium dierum in solitudinem et sacrificemus Domino Deo nostro.* Primi diei via purgans, secundi illuminans, tertii uniens. Et hæc omnium brevissima, qua proxime ad Deum venit; unit enim arctissime et despondit animam Deo ad ipsius voluntatem perpetuo faciendam. Unde S. Bern. serm. in Cant. ait: « Talis conformitas maritat animam Verbo, cum, cui videlicet similis est per naturam, similem nihilominus ipsa se exhibeat per voluntatem diligens sicut dilecta est. Quid hac conformitate jucundius? Quid optabilius charitate, qua fit ut humano magisterio non contenta per temet, o anima, fiducialiter accedens ad Verbum, Verbo constanter inhæreas, Verbum familiariter percuncteris consultesque de omni re, quantum intellectu capax, tantum audax desiderio. Vere spiritualis sanctique conubii contractus est iste. » Hæc Bern. Deinde sicut impuritas nascitur ex contactu inferiorum, puta ex amore et adhæsiōne ad epulas, venter, honores vanos, aliqua bona infima et terrena, ita puritas oritur ex contactu superiorum, scilicet ex amore et adhæsiōne ad Deum resque divinas ac cœlestes. Sanctitas autem est omnimoda puritas, ait S. Dionysius, c. XII. de div. nom. Sanctior ergo est, qui Deo magis appropinquat et adhæret, suaque omnia ad eum dirigit, quod profecto facit is, qui se ejus voluntati per omnia conformat. Narrat Cæsarius, l. X. mirac. c. VI. fuisse in quodam cœnobio monachum quemdam, in parandorum miraculorum gratia tam illustrem, ut ad vel solum vestium ipsius cingulique contactum ægri persanarentur. Considerabat rem hanc tacitus secum diligenterque antistes ipsius, nihil enim deprehendebat in hoc viro singularis sanctitatis. Vocato ergo ad se aliquando monacho, causam inquit tot per ipsum a Deo factorum miraculo-